



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibent Benè Vivendi
Et Benè Moriendi**

Balde, Hendrik

Ipris, 1689

56. Cap. De Supremo iudicio.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56447)

Non paucos, qui fuissent ad inferos
præcipitandi, hoc Sacramentum tran-
stulit in Cælum.

CAPVT LVI.

De Supremo iudicio.

OMnes nos manifestari oportet antè tribu-
nal Christi, ut de bono, & malo, quod
egerimus, iudicemur. Nihil illo certius;
nulla de re *S. Scriptura* clariùs differit.

Tria sunt, quæ iudicium supremum fa-
ciunt perquam horribile, stricta reddenda
ratio, summa ignominia, irrevocabilis
æternæ damnationis sententia.

Nullum verbum nullum opus, nulla co-
gitatio, nullum vitæ momentum præteri-
bit, nisi exactissimè discussum, ut pro eo
vel merces tribuatur, vel pœna irroge-
tur.

Quid tibi erit animi, dum tot pravæ co-
gitationes, tot nefaria opera, tot otiosa,
atque impura verba, tantam temporis
iacturam, totque gratias neglectas coram
intueberis? Quis tibi tum erit sensus?

Accurata ratio, quàm de uno duntaxat
die Deo redditurus es, te incredibili
consternatione.

consternatione, atque confusione omnino replebit: quid igitur faciet tot dierum, tot annorum, totiusque vitæ severissima discussio?

Memini, scribit de seipso Religiosus quidam, Deum demonibus exprobraturum unicum horæ quadrantem, quem non velle impenderunt; quid igitur fiet de me, qui quot annis & centum & mille quadrantes infructuose elabi passus sum, si contingat Deum id etiam mihi exprobrare? totis artibus, inquit contremisco, dum hæc recogito.

Quid faciam, inquit Job, cum surrexerit ad iudicandum Deus? & cum quaesierit, quid respondebo illi?

Quid, obsecro, Iobo timendum erat? conscientia ei testificabatur, quod plurima opera charitatis, omnisque generis virtutes studiosè exercuisset. At, eheu! vergebatur perspicacem Dei oculum; metuebat, ne is in operibus suis aliquid, cuius ipse met erat inscius, reprehensione dignum inveniret.

Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordiâ, discutias eam, exclamat S. Augustinus (a)

Si Iustus, inquit S. Petrus, *vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?*

Pater Joannes Cardin Religiosus Societatis

(a) L. 9. confess. c. 31.

tatis JESU, singulari virtute præditus, jam morti proximus (cum ei diceretur, fore ut lene subiret judicium) flebili voce in hæc verba prorupit. *O duram sententiam reddere Deo rationem!*

Omne judicium effugere haudquaquam potes: hîc igitur te ipsum judica, & severe castiga, ne postmodum severe judicaris, & castigeris.

CAPVT LVII.

De confusione & pœna damnatorum in judicio.

OCuli Domini multò lucidiores sunt quàm solis radij: hi novissimo illo die tantâ nos luce perfundent, ut visurus sit unusquisque non solum publica nostra peccata, verum etiam occulta, omnibus vestita circumstantijs, ubi, quando, quomodo, quibus medijs, & cum quibus commissa sint.

Damnati apud inferos remanere illo temporis spatio præoptarent; siquidem palam prodire erit intolerabile; latere verò nullo etiam modo poterunt.

Ad sinistram igitur, cheu! cum dæmonibus consistere debebunt, incredibile rubore coràm universo mundo suffundendi, deque illis verissimè affirmare licebit